

VI  
TA  
VR  
De  
Pie

18.-7  
56.

39  
112936



3  
42936

8  
21  
7

num. 18. cap. 7. num. 56.



b16474144 →

MARTINI ANTONII  
DEL-RIO

E SOCIETATE IESV

LL. Lic. S. Th. Doctoris

VITA

Breui Commentariolo expressa.



*De la libreria de el R. Col. de Sal.*

ANTVERPIAE,  
EX OFFICINA PLANTINIANA,  
Apud Ioannem Moretum.

cIo. Ioc. IX.



*Perquam Reuerendo Nobiliq; Domino*

IOANNI DEL-RIO  
S. R. E. PROTONOTARIO  
ET  
D. MARIAE APVD ATVATICOS  
DECANO.



VMOQVAM tam male cum rebus humanis agitur, vt VIRTUTIS neminem teneat admiratio; praesertim quando inuidiae pruinam decoxit, post mortem serenior. Nec fuit, nec erit æuum tam litterarum iners, & sterile; quo non laudentur boni. *Placet enim, Romani Philosophi iudicio, sua-  
pte naturâ: adeoq; gratiosa VIRTUS est, ut in-  
situm sit etiam malis probare meliora.* Addo rei-  
publi-



publicæ incolumitati conducere plurimum, eam non celari. *Non sine ratione, eiusdem sententiâ, sacra est magnarum virtutum memoria, & esse plures bonos iuvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat.* Quid verò minus gratiarum possumus rependere, quàm meminisse? Huc cogitationem intendens amicus quidam meus, MARTINI ANTONII DELRIO vitam complexus breui Commentariolo, arbitrio meo commisit, typis vti mandari curarem. Nec consultandum diutiùs iudicavi, nec premenda istius viri gesta, quem si quis norit, \* *Τὰς ὁμείας τῶ Θεῷ διαδέξασθαι* affuisse dixerit. Nec ardua magis delibatio, cui mittendum hoc schedium: ad te ibat sponte, & quasi proprium petebat larem. Te enim non solùm eadem maiorum imagines, & stemmatum implexa series ipsi coniunxit arctissimè; sed VIRTUS etiam & DOCTRINA. Hac ille

\* Familia-  
ribus Deo  
affectioni-  
bus.

ille bigâ ad cælum euectus est, hac eodem proueheris. Norunt ea, qui te non ignorant. Quare multis nihil opus est. DELRIVS ad DELRIVM venit, non hospitij simplici iure, sed cognationis: eruditus eruditum reuisit, quasi à mortuis re-dux; religioni addictum, religiosus quondam. Eum suscipe, & quâ soles benevolentiam complectere, ac familiari domesticoque huic splendori pectoris tui fores aperi; nosque inter tuos habe, merito tuo, affectu nostro. Vale.

*Adm. R<sup>da</sup> D<sup>ni</sup> V<sup>ra</sup>*

deuotus cliens

Hermannus Lange-veltius.

\* 3

MONI.

## MONITIVNCVLA.

**A**MICE LECTOR, Nos hic viri virtutem expressimus potius, quam illustria Maiorum nomina; maturum & amicum cuique fructum legimus verius, quam altè lateque sparsam refodimus radicem. Nempe suo quæque colore gemma placet; non quæ alieno ornamento, et si aureo, occultatur potius quam oculatur. Quod si quis vetusta DELRIORVM monumenta querat, non ab avis tantum, atavis, tritanis, quorum stirps sobolesq; variis apud REGES CATHOLICOS muniis etiam inter sacros Equitum Ordines inclaruit; sed à seculis aliquot retrostoribus, PELAGII Regis aliarumq; auspiciis, cum in Catholico exercitu duces ipsi contra Mauros fortiter fecere; habet ille in Regiis Salamantica archiuis memoriales tabulas, vetustâ membranâ conspicuas, quibus non vnus DELRIO rebus præclare pro DEO, pro ECCLESIA, pro REGE suo gestis intexitur. Nostri quoque mater (ne LOPEZIANO in varias familias sparso nomine ambiguus hæreas) è VILLANOVANIS fuit. qua gens, virtute fideq; inter Aragonum primos spectabilis semper eminuit. Sed hæc externa, ut dixi, nec in censum viri suo peculio diuitis referenda. Tute hominem inspice, LECTOR; dices alienâ faculâ non egere, cui tam illustris rectè factorum Sol splendet domi. Cuius radij duo hi in Vita præteriti: D. Alhelmi Enigmata, quæ Moguntia typis dedit, cum Gratium tenderet: & Commentarius literalis in Threnos Ieremiæ; qui, eodem quo Pharus S. Scripturæ tempore, orbi illuxit.

## CENSURA.

Hæc R. P. MARTINI DELRIO descriptio est exemplaris, vt meritò in multorum exemplum imprimi possit. 13. Kal. Aprilis, 1609.

Egbertus Spitholdius Plebanus,  
librorum Censor.

## SVMMA PRIVILEGII.

**A**LBERTI & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE Archiducum Austriae, Ducum Burgundiae, Brabantiae, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum est; nequis Martini Antonij Del-rio è Societate IESV Vitam breui Commentariolo expressam, præter voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpiensis, intra sexennium imprimat, aut alibi excusam in inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui poena mulcabitur: vt latius patet in litteris datis Bruxellæ, VI. Aprilis, M. DC. IX.

Signat.

Buschere.

ERRATVM.

Pag. 41. lin. 28 C. Iulij. lege C. Liuij.

D. GREGOR. in X. MATTH.

MORS IVSTORVM bonis est in ADIV-  
TORIVM, malis in TESTIMONIVM;  
vt inde peruersi sine excusatione per-  
eant, vnde electi exemplum capiunt,  
vt viuant.

MAR-

MARTINI ANTONII  
DEL-RIO

E SOCIETATE IESV

VITA.



ARCO Varroni non tantum ius ima-  
ginis ob curules maiorum magistra-  
tus propagare, sed ob singularem  
scientiae sapientiaeque laudem, aliud  
quoddam, & augustius concessum  
est. Illius enim, *in Bibliotheca, qua*  
*prima in Vrbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata*  
*Rome est, vnius viuentis posita imago est.* Idem, non eo-  
dem, sed potiori tibi iure debetur, MARTINE DELRI:  
quem iisdem verbis compellarem, quibus *\*πολυγραφέτα*  
*τῷ Varronem Cicero quondam, nisi plura te ac diuino-*  
*ra quaedam, quam profanum illum, legisse ac didicisse*  
*scripta tua docerent & gesta.* Itaque, dum alij alibi vul-  
tus tui fila ducent, & caelestis genij sacrum velut lara-  
rium omnibus venerandum proponent, dum inter illu-  
stres viros vel caelo sculpent, vel colore pingent; ego ani-  
mi mentisque tuae simulacrum, virtutes, inquam, doctri-  
namque tuam, tenui gracilique stylo, quasi gypso, defor-  
mare conabor: magnos illos litterarum Principes obte-  
stans, vt solido te metallo, in bibliothecis, hoc est, in me-  
moriae templis, augurato consecrent dedicentque. Et erit

*Plin. lib. 7.  
cap. 30.*

*\*plurimo-  
rum scri-  
ptorem.  
Epist. lib.  
13. epist. 18.  
Acad. que-  
stion. lib. 1.*

A

non-

nonnemo, vt arbitror, qui ex pedis vestigio totius corporis harmoniam, vt Herculis quondam Pythagoras, solerter modulabitur: aut vt Iouis Olympij Phidias, ex supercilio crinibusque obiter descriptis totam effigiem ingeniosè feliciterque perfectam exhibebit. Tu modò cælis nuper additum, vti benè speramus, sidus nouum ac salutare nobis exorere, & ignorationis noctem mitiga, vacillantemque manum benignus dirige.

PATER-  
NUM GE-  
NUM.

**D**elriorum gentem, in valle Burebâ, inter Castiliæ montes ortam, nobilique stirpe olim effloruisse vetustissima Auorum monumenta testantur: quæ Segobiæ Burgisque à Maioribus augustè quondam dedicata. Eorum summa apud Hispaniarum Reges auctoritas cum eluxisset; nescio quâ Fortunæ procellâ languescentem, ad pristinum splendorem reuocarunt Ludouicus Delrius, Regis Consiliarius, libellorumque supplicum Magister, & Antonius Delrius, nostri huiusce Martini Antonij Delrij parens, Cleydaliæ & Artzelaræ in agro Antuerpiensi Toparcha. Qui opibus parem animum ostētans, in Merâ, spectatissimo illius vrbs loco, eas ædes construxit, quæ ob elegantiam atque amplitudinem Principibus dignam, Regibus Proregibusque nostris eò aduentantibus familiare Prætorium esse solent. Hunc vitæ suæ, & humanioris culturæ auctorem, grato, sed non assentante tamen calamo dilaudat, in præfatione Notis in Claudianum præfixâ: de eodem illud succinctè, sed memoriâ dignum posteritatis refert: *Scio patri quondam meo, bono & laudato viro, vnius noctis peruigilio, & mortis metu, quoniam medicos conclamantes audierat, vix*  

*tertio*

In præfat.  
Hieronymi  
Delrij ad  
Senecam  
anno 1574.

Tom. I.  
Syniag.

*tertio ætatis lustro, planè capillos omnes canuisse.* Euenerunt huiusmodi prodigosè non paucis: quæ recensere, vel ad causam naturamque reuocare, eorum est, qui in Physicorum penetralia altiùs se immergunt.

Matrem non minùs illustrem nobilitate habuit Eleonoram Lopeziam, matronam singularis castimonix, Aragonum proceribus oriundam: cuius maiores Cataliudæ magnificè tumulati; parentes verò Antuerpiæ apud Patres Carmelitas, in sacello Deiparæ, quod eorum munificentiâ & pietas splendidè extruxit, Optimatum more ius sepulcri posteris asseruerunt.

GENVS  
MATER-  
NUM.

Ex hac semēte Martinus cum primùm pullularet, spem segetis in herbâ significauit eximiam: nec postea elusit. Ipso pueritiæ exordio vegetum, acre, & non minùs strenuum emicare ingenium, ad litteras aptum, atque incitatum: diuino quodam velut ictu ac impulsu ad ardua rapi, quæque honestiora essent, licet eadem difficiliora sectari: id agere vnicè, quod ageret. Itaque parens optimus, cum natiuis scintillare radijs nobilem filij sui indolem animaduerteteret, velut gemmam ad cotem exigebat; naturamque lacebatur, vt submicantem verecundè lucem magis accenderet, & in aliorum notitiam atque utilitatem, in familiæ suæ decus ac gloriam produceret: nulli parcebat sumptui, nulli labori: per se, per alios puerum monitis instruebat, præceptis erudiebat: atque ex Philosophorum consulto, non calcei tantam, quantam pedis ducebat rationem. Hanc filius in se curam & pietatem studiorum suorum primitijs testatam esse voluit, debitaque religione cultam. Vnde in Epistolâ ad Granuellanum, Solino dedicando conscriptâ, *Nimirum*, inquit,

Anno Do-  
mini 1550.

PVERI-  
TIAE EX-  
ORDIVM.

A 2

magno-



magnopere mihi peccare viderer, eum Patrem nactus, quem non eo tantum nomine, quod Pater, diligere debeo; sed quod is Pater, qui nullis umquam curis aut sumptibus pepercit, ut me ad eruditionem morumque sanctitatem vocaret. Neque hic solum: sed clarius alibi & disertius, dum suas in Claudianum Notas paterno nomini, quasi bullam Laribus, suspendit; illius prudentiam, & animi sui gratitudinem, quosque in studijs gradus fecerat, designare conatur. *Primo igitur* (verba ipsius sunt) *Grammaticæ præceptis, Latina Græcæque linguæ principijs haustis, me ad Poëtarum, Historiæ, & Oratorum assiduam lectionem contuli. His, ut aliarum Philosophiæ partium, sic Moralibus potissimum ediscendæ laborem addidi. Idque tuâ, Pater obseruandæ (à quo non primum dumtaxat in naturam aditum, sed etiam in litteras ipsas, atque religionis & omnis doctrinæ cognitionem, prima quæque exordia accipi) ope, consilio.* Hæc, quæ commemorauit, tam multa, tamque inter se dissita, ingenio studioque complexus est, cæ ætate, quæ plerique inter nutricum vbera nondum omnino lallare desierunt; tum verò religiosis legum adytis successit, cum non pauci hoc vnum norunt, nucibus ius dicere.

De his, alijsque, antequam singillatim narrationem instituiamus, non abs re fore iudicauit, eam, quam in studendo obseruabat, rationem exponere; eo præsertim tempore, quo illis, quas recensui, disciplinis nauauit operam: ne quis inficietur tam paucis annis tantum scientiarum atque artium consequi potuisse; & anilem me fabulam texere, non Veritati facere, incuset.

Solet ille, tum etiam cum necdum pubertatis annos

atti-

STVDEN-  
DI RATIO.

attigisset, ipso diei crepusculo, postquam rei diuinæ interfuerat, intinctum vino panem modicè sumere; deinde subito in cubiculum se illatebrare, quod ei seu bibliotheca, seu \*τεχνοφυτώριον quoddam erat. Hic sellam & pluteum subiectis rotis ita fabrefieri curauerat, ut leui pedis impulsu, per omnia circum pulpita ac loculamenta, se ipsum omnemque studiorum supellectilem circumueheret: illi cum insedisset, non prius inde dimouebatur, quam adultâ nocte, tempus & familiaris ephebus ad coenam, non rarò inuitum ac reluctantem, cogeret. Eâ igitur contumaci quodammodò assiduitate tot omnium scientiarum Auctores euoluit, ut Henricus Zebertus Dughæus S.T. Doctor & librorum Censor testetur, in Aduersarijs, quæ annorum nouemdecim Senecæ illustrando dedit, plus minus mille & centum variorum Auctorum in diuersis scientijs & linguis sententias maximo cum labore & iudicio conscribi ac dirigi, ut ad eos enumerandos doctissimis quibusque nomenclatore opus esset. Quare vir clarissimus Iustus Lipsius fateri interdum non erubuit, numquam se legisse, numquam vidisse, ac omnino nescire an sint Scriptores, quos non paucos illud *æui nostri miraculum* (sic eum nominabat) ad testimonium dicendum citare solet.

Huc accedit, non eum, ut multis hoc tempore vsu receptum est, Calliphanem apud Athenæum imitatum fuisse, qui ἀρχὰς ποιημάτων πολλῶν ἐν γομφάμειθρον, ἀνεδήφει μέχρι τελῶν καὶ τεσσάρων σίχων, πολυμαθείας δόξαν προσποιέμενθρον: *poëmatum multorum initia descripta, ad tres vsque vel quatuor versus continenter recitabat, multiplicis doctrinæ laudem affectans*: nec sola tantum libro-

A 3

rum

\* artium  
platarium.

In censurâ  
suâ.



rum nomina, quod nouelli litteratuli faciunt, bibliopolæ potiùs quàm studiosi munus obeuntes, citasse, non indices volutasse atque expilasse; sed cùm Scriptorem arripuisset, non antè dimittebat, quàm attentè atque integrè perlegisset, & quæcumque in capedunculas litterarij sui thesauri referenda iudicasset, ea scitè ac venustè descripsisset: atque hoc modo plus vice simplici omnia Tostati volumina pressò, non suspenso vestigio percurrit, & sedulò perlustrauit. Videant hîc adolescentes, quibus generosior sanguis ad gloriæ virtutisq̃ue regiam anhelat, vberimo cuique ingenio culturam adhibendam esse: nec Atheniensium illud \* μέγα πνεῦν sufficere, verùm ad summa adspiranti, magna esse conanda, magna agenda. Nunc ad temporum ac gestorum seriem reuertamur.

\* magna  
anhelare.

STVDIO-  
RVM PRI-  
MORDIA.

Primum ipsius studium Grammaticæ præcepta, Græcæ Latinæque linguæ principia haurire. Hæc inter fascias adhuc, puerilesque delicias, Liræ (Brabantia id oppidum est) viuaci ingenio, tenacissimaque memoriâ tam enixè comprehendit, vt neminem hoc sæculo plura ex Latinis Grammaticis, ceterisque eiusdem linguæ Auctoribus, magis meditatè, magis castigatè vsurpasse commonstrent illius in publicum emissæ commentationes: quas dictionum locutionumque Romanarum vernaculo quodam succo scatere nemo negauerit, cuiusque leuiter saltem Tiberim gustare contigerit. Quin imò nimium se Egeriæ fontibus proluisse videtur iis, qui interioris notæ dictiones locutionesque numquam delibarunt; quosque, Calepinum vt circumferrent, hortabatur, si benè dicentem vellent intelligere. Græco, Latinoque idio-

LINGVA-  
RVM COG-  
NITIO.

mati

mati Hebraicum adiunxit, cùm Sacrarum litterarum cognitio id postularet: Chaldaicum non omnino ignorasse scio; familiariter vsurpasse nescio. Flandricè, Hispanicè, Italicè, Gallicè, Germanicè, ita loquebatur, vt in plerisque eloquentissimus, in nullo hospes esset. Poëtarum, Oratorum, Historicorumque scripta omnia, quæcumque in quibuscumque Belgiaë bibliothecis reperiri poterant, euoluerat, excusseratque.

In Philosophiâ Magistrum habuit Parisiis Ioannem Maldonatum, virum felicitis sempiternæq̃. memoriæ, supraq̃. omnes maritimarum canicularum, & informium monstrorum, nuperas antiquasque furias, animo & virtute celsiorem. Hunc sedulò constanterque docentem audiuit; peculiari necessitudine eam sibi Philosophiæ partem deuinciens, quæ de moribus differit: quam virtutum omnium parentem ac nutricem à Socrate laudatam & excultam nouerat; quamque viro ad remp. gerendam nato præcipuè semper venerandam intelligebat. Ex eadem ille animus, sui compos, recti tenax: quem toto vitæ spatio tam pugnaciter conseruauit; vt eum nihil, nisi ex rationis iudicio aggredi; ab eo, quod aggressus erat, non nisi ex eiusdem rationis arbitrio digredi, facile esset curiosius obseruantibus intueri. Nusquam inanes querelæ, & vanæ lamentationes: quæ minabantur aduersa, vel excipere & tolerare fortiter, vel prudenter euitare: errare, hominis esse dicebat; sapientis, errata corrigere.

PHILOSOPHIA.

ETHICA.

Post Philosophicas exercitationes Duacum ad Iurisprudentiæ studium se contulit. Ea tum Academia Philippi II. Hispaniarum Regis auspiciis nuper inaugurata erat, eaque de causâ, vel vt tanto beneficio cum iucundâ

IURIS-  
PRUDENTIA.

in



in posteritatem recordatione fruerentur, vel ut Regis fauorem sibi conciliarent, cuius maiestatem in approbando hoc illius opere amplificare videbantur, nobiles non pauci ad illud oppidum commigrabant. Hos inter, ut diximus, Delrius fuit: cui tum morum ac studiorum Moderator Ludouicus Carrio, vir ingenio & scriptis clarus.

Eluxit sub idem tempus adolescentis castimonia, in re, quæ iudicio quorundam, quibus Circes pharmaca pestiferâ quadam sanie perenniter stillante oculos obduxerunt, parua videbitur; nec magis eam foedam esse iudicabunt, quàm sus lutum: ij verò, quibus libera ab istis nebulis mentis nitescit acies, & nondum \* *ὄντα κεφαλήν ἢ οὐδὲς καρδίαν ἔχουσι*, non irreligiosum integritatis augurium amplectentur. Cùm in eodem contubernio vir illustris degeret, qui post diurnas diuturnasque computationes nocturnis terroribus atrociter quateretur, ex conscientiae metu, quæ hominem minùs frugi secretiùs sine arbitris & interpellatoribus acriusque stimularet; sapiùs ille Martinum, pro suâ auctoritate, mitiùs seueriusque vrgebat, ut sine vlllo pudicitiae periculo (quod procul abesse videbatur) eodem in cubili somnum caperet, praesidio (ut censebat) aut solatio futurus. At verò adolescens ingenuus numquam adduci potuit, vel illâ animorum conciliatriculâ nobilitate, vel potentiâ nocendi auidâ, vel blanditiis vel minis, ut eodem, adolescens cum viro, in lecto decumberet. Nimirum etiam vbi discrimen nullum esset, *Verecundiam Iuuentutis tutissimam satellitem* à se nusquam abire patiebatur.

Duaco Louanium se contulit: vbi Cornelij Valerij disci-

VERECUN-  
DIA ADO-  
LESCEN-  
TIS.

\* asini ca-  
put, aut  
suis corha-  
bent.

disciplinâ, & Iusti Lipsij familiaritate, summos in litteris progressus fecit: praecipuam tamen diei partem legum iurisque scientiae seponebat: quod in operibus id temporis ab se elaboratis non semel palàm esse voluit.

Primum ingenij sui foetum in lucem emisit anno 1571. dum quinque necdum Olympiades compleuisset. Is fuit *Solinus*: quem ex manu-scriptis Iusti Lipsij membranis correxit, & Notis illustrauit, atque adiectis ad finem Cornelij Valerij Animaduersionibus perpoliuit. Factum, meo iudicio, id ætatis temerarium, nisi solius Delrij factum esset; quem & diligentia & eruditio, & caelestis quidam genius vulgo exemit. Quod nemo inficias ierit; cui & conatus, & rei successus non ignotus est. Illa sanè modestia ipsius incredibilis, quam in fine allocutionis, quâ Lectorem comiter compellauit, quamque in alijs deinde scriptis solenne velut carmen praefari solet, silentio praeteriri non debet: Porro, inquit, *unum est, quod à vobis impetrare cupio, & debeo; scilicet, ut antequam de operâ meâ sententiam feratis, recordemini eorum, quæ Romanorum eruditissimus Varro in lege Maniâ scripsit, neq. in bonâ segete nullum esse spicum malum, neq. in malâ non aliquod bonum: meminertis quoque me de grege hominum esse, è quibus nemo tam prouidus ac circumspectus est, qui non saepenumero fortiter in lapidem impingat; eumque hominem qui extra terminos adolescentiæ nondum sit progressus, cuius maximè propria est iudicij non magnitudo, sed imbecillitas ætatis.* Quantum ille ab eorum arrogantia & proteruitia abfuit, qui cùm in vitium labuntur, si quis Mercurius aurem vellicet, si quis ad viam reuocet, fungos, caudices, matu-

In epistola  
ad Gran-  
uell.

In epistola  
ad Paren-  
tem.

NOTAE IN  
SOLINVM.

las loquuntur; & catapultas ac ballistas conuiciorum, in eos qui benignissimè consulunt, eiaculantur, furij & intemperij acti: nec hederà quidem suos thyrsos velare student, nudis bacchantur armis, sed æruginatis: vt tum se maximè ineptiarum inficetiarumque coarguant, dum propugnare moliuntur.

NOTAE IN  
CLAVDIA-  
NYM.

Post *Solinum* anno 1572. doctissimas in *Claudianum* *Notas* euulgauit, easque Parenti suo inscripsit, & in præfatione omnem studiorum suorum vsque ad eum diem rationem reddidit.

Ex præfat.  
in *Aduer-*  
*saria.*

ADVERSA-  
RIA IN SE-  
NECAM.

Carus ante alios Poëtas Seneca ipsi erat; hunc in vlnis gerebat, in sinu fouebat: eius, propter summam sententiarum gravitatem & copiam, lectione mirificè capiebatur; quem dum voluere ac versare non desinit, & quandoque cum scriptis codicibus, atque multarum linguarum scriptoribus eum confert, quasi per satyram, vt aliud ex alio incidebat, multa ei apponit: Nota illa (quas priùs adscripserat) vt fit adhibitâ pleniore quorundam locorum tractatione, in *Commentariorum iustum panè volumen excreuerunt*. Hastamen apud se retinebat, nec commeatum dabat; donec fraterna fraus, an caritas, manibus eius extorsit opus, iam erumpere gestiens. Itaque in *Senecam Aduersaria*, quæ decimo nono ætatis anno perfecerat, fraternâ industriâ prodierunt, cum vigesimum quartum ageret; & apud bonos plausum meruerunt: fuere tamen qui verso pollice maligniùs premerent, quorum tum scripta verso stylo supprimi debuissent. Ita fit: cum crescentem alterius gloriam famæ suæ luminibus obstruere vident inuidi & ambitiosi Heroftrati, euertere ac demoliri student. Sic magna semper liuori obiecta sunt.

Neque

Neque Delrioni nostro adeò læua sui natura fuit, vt à philautiâ, communi pestiferoque malo, iudicij sui integritatem violari sineret. quare annis maturior hanc prolem resumpsit, & relambit; atque omnes illius artus tam modulatè conformauit, tam robustè exaggerauit, vt nullo iam reprehendi possit, nisi fortè quid nimis. Accipite ab illo huius facti rationem: *Quæ olim panè puero exciderunt Aduersaria, recognoui tantum; & quas illis iudicij, ingenij, & doctrinæ infirmitas, vel feruor ætatis lubricæ maculas adsperserat, seuerâ spongiâ & retractatione sustuli, deleui; Fabij consilio, D. Augustini exemplo.* Hac editione & correctione, aliud, quasi alio lustrali die, operi iterùm in lucem prodeunti nomen indidit, & *Syntagma Tragedia Latina* vocari voluit: in eodemque, mirum quàm opportunè, Christianæ doctrinæ adyta claudentes, & quasi improbissimâ gentilitatis egerie fidei sacra alciùs obstruentes, stoam iterùm aperientes, & barbâ ac pallio improbam frontem ac mentem inumbrantes, generosè compescuit. Fuit enim vir ille veritatis & religionis acerrimus vindex, voce ac stylo egregiè armatus, ac velut in procinctu semper ad Dei honorem, ad Ecclesiæ maiestatem vindicandam.

Præfat. in  
Syntag.

SYNTAG-  
MA TRA-  
GEDIÆ  
LATINÆ.

Anno cl. l. lxx. Louanij primam in iure lauream incredibili omnium admiratione decerpfit. Quid verò admirandum? Omnes tum legum ac iuris consultos, omnes eorum interpretes euoluerat; vt prodigio sanè & ostento simile fit, vel ipsa sola Auctorum nomina meminisse, quos in Epistolâ ad parentem suum se perlegisse commonstrat. Fuit, si quispiam alius (quod de Catone Marcus Tullius) librorum helluo.

FIT BAC-  
CAL.

B 2

Aliquot

In exordio  
Repetit.

Aliquot interiectis annis Salmanticam profectus est: quæ Academia, cum ceteris omnibus totius orbis nobilitate, studiis, magnitudine, frequentia, & religione pugnat. Huc cum peruenisset, non solum, quæ Louanij dicerat, memoriaque complexus erat, ne effugerent, reuocare sæpius; verum, acerrimos in hac palæstrâ antagonistas nactus vbi esset, seipsum acrius incitare, omnes animi vires consciscere; nec quietem aut otium capere, donec aliis celsior assurgeret, & post varias atrocissimasque de iure contentiones, laureâ donaretur. *Repetitionem* (sic appellant) quam de more in amplissimo confesso instituit, *L. Transigere, C. de transactionibus*, diem videre iussit, nec incomitam tamen: adiuncta fuit *Exercitatio ad L. contractus. 23. de diuersis regulis Iuris antiqui, totam culpæ præstandæ materiam comprehendens: accesserunt summaria, numeri & quæstiones diuersæ: item, de principiis iuris libri duo*. Quod illius opus quisquis legerit, non septem Græciæ sapientum, sed omnium Iuris peritorum symbolum spectare sibi videbitur: nec à scholis rudem, sed post plurimos annos huic studio insumptos rude donatum, in tantillâ ætate quæret, in tantâ doctrinâ reperiet.

MAGI-  
STRATUS  
AB EO  
GESTI.

Post hæc in Belgium redux, in supremum Brabantia senatum, à Philippo Rege II. cooptatus est. In quo Magistratu dum versatur integerrimè, ingens opus congeffit operæque ingentis, quod *Miscellanea scriptorum vniuersi Iuris civilis* appellauit; quod propter singularem doctrinæ copiam, eximiamque præstantiam, Petrus Brofsæus auxit atque illustrauit, iterumque typis credidit Lugduni anno cl. lcc. & cl. lcci.

IURIS CI-  
VILIS MI-  
SCELLA-  
NEA.

Itaque

Itaque probitate & doctrinâ sublimiùs euehitur, & à Rege, Palatinis militibusque ius dicere iubetur anno cl. lcc. lxxvii. Quo in gradu non diu substitit; sed anno insequenti Brabantia, pro Cancellario, Regioque fisco præficitur. Tanta in auctoritate, peccandi que licentiâ, illud sui Senecæ assiduus animo voluere,

*Minimum decet libère, cui multum licet.*

nulli obesse; prodesse multis; nusquam à lineâ decedere, nusquam ad Euripos exorbitare; non suum emolumentum spectare, sed publicum. Quare in cæcis illis nubibus ac procellis reip. hoc velut astrum non pauci respectantes, fortunarum suarum naufragium euitarunt. Horum è numero Iustus Lipsius; quem iam olim ex honestissimâ litterarum societate, morumque similitudine contracta necessitudo Delrioni nostro arctiùs deuinxerat. Cum enim inuictissimus Imperator Ioannes Auftrius apud Gemblacum acerbissimâ clade perduelles fudisset fugassetque, & miles victoriâ elatus in Louanienfium agro militari more & licentiâ grassaretur, multisque de caussis Lipsij facultates ad exitium vocarentur, illius rebus Delrius consuluit: quâ integritate, ex Lipsio disce. *Mira, inquit, tua fides in me, mira pietas. amoris enim certe verbum leue est, in re, quam rari pro fratre fratres audeant, pro liberis parentes. Me, meaque absentis defendisti: & obiecisti te non molestis solum, sed periculis, in hac flammâ rerum. Venisti ultrò ad meos, erexisti, securos esse iussisti: hoc tantum questus, quòd non indicassent. Itaque quòd res opesque meæ saluæ, quòd scripta & libelli (id est, vita ipsa:) beneficium est vniuersi tui. Et hic nempe est ó Ιαπετος, quem tam crudeli formâ hostes depingunt; dum mitissimi-*

Epistola  
vâ Cent. 1.  
Epist. xiv.

B 3

mum

num clementissimumque virum, Eumenidum & Erinnyum laruis induunt; & iis nominibus dedecorare non verentur, quæ nec congruè satis affingantur Mezentio vel Phalaridi. Adeò foeda, adeò barbara sunt, quæ cōminiscuntur litterariæ atrocitatis & tyrannidis administri, nouique Perilli. In eo tamen rerum gerendarum tumultu, non tantum virtutis memor, sed litterarum fatagens fuit. Sub idem enim tempus, vt erat omnium, quæ publicè queque priuatim agerentur, pro dignitate & potestate suâ gnarus admodum, *de Belgarum seditione Commentarios* sibi Latinè concinnauit, Cæsaris in eo consilium æmulatus & industriam. Sed cum liberè, neque ad gratiam, non adulando, non supparasitando, vt hodie mos obtinet, eos libros contexuisset; tam diu domi continere destinarat, donec, aut ij, quorum intererat, fato concessissent, aut ipsum Deus odio atque indignationi subtraxisset. Prodiere nihilo minùs Ibericâ linguâ Madriti, sub anagrammate Rolandi Natini Miritei.

Iam in summo stare videbatur Delrius, iam inter ipsius fortunæ & honoris amplexus versari; cum in præcipiti se vacillare, & quò celsiorem, eò lubricum magis locum & abruptum premere intellexit: ex quo laberetur faciliùs, & post lapsum resurgeret difficiliùs: atque adeò, vt ibidem foret semper, numquam tamen sine periculo fore, numquam sine maximâ incredibili que molestiâ: magnas illas regiasque cedros, in altissimis montibus nonnumquam quidem pubescere, aut interdum etiam senescere; numquam non ventis agitari: rarò sole foueri, sæpiùs aëris iniuriis obnoxias degere. Tandem igitur aliquando, vt Philosophus quondam, amicus sibi esse cœpit,

COMMEN-  
TARI  
RERVM  
BELG.

RELIGIO-  
NEM SOC.  
IESV IN-  
GREDI-  
TVR.

pit, imò Deo: sibi que consulere, Deo seruire decreuit. Nulla interim missionis spes affulgebat, nulla expediendi sese ratio; donec impetratâ ab Alexandro Farnesio Belgarum Prorege, prætextu nescio cuiusce rei, in Hispaniam profectio, post tam diuturnas bellorum tempestates cecinit classicum, & subduxit copias in tutum, præclaro & Antigoneo stratagemate non fugiens quidem, sed vtilitatem retrò positam insequens. Hic ille flexus in vitæ ipsius decursu, vbi non nihil subsistendum esse iudicauit.

Magnus hucusque, siue ingenium spectes, siue probitatem, siue totius actæ vitæ integritatem: sed tum maximus esse cœpit, cum ambiit esse minimus. Talem eum celestis Philosophia reddidit, qualem olim Ioannem Damascenum; qui diuinâ quadam metempsychosi in Delrionem nostrum quodammodò commigravit. Fauete o cælorum incolæ, & vobis benè volentibus, benignè adiuuantibus (nec enim inuidere potestis, nec liuere) hanc actionum vestrarum comparisonem ad examen vocare permittite.

Generis nobilitatem, magistratuùmque, quibus perfuncti sunt, similitudinem non exponam: norunt ea singuli. Tria sunt, quibus in hanc morum affinitatem coierunt: Generosus, nec vumquam infractus in fidei dogmatis defendendis ardor & spiritus: Ardentissimus in Deiparam Virginem amor; quem cum lacte nutricis hauserunt, & tum magis etiam accenderunt, cum magni Imperatoris quasi prætoriani, tale sacramentum dixerunt, quo obstrictis, nec à statione discedere, nec latum quidem vnguem ab ipsius latere abiungi fas esset. Ea enim

DAMA-  
SCENVM  
IMITA-  
TVR.



enim est religionis vis, ut hominem à Deo per noxias deflectentem reuocet, & ad eiusdem voluntatem tam arctè religet, ut eadem debeat velle, eadem nolle: atque hoc est tertium, quod momentum habet maximum in hac comparationis trutinâ.

N HÆ-  
RETICOS  
ARDOR.

A Damasceno contra Imperatoris iconoclastæ sceleratas tyrannicasque molitiones obiecta defensionum valla, & congestos argumentorum aggeres nemo ignorat. Delrionis contra hæreticos, eosdemque iconoclastas, omnibus passim Commentarijs ceruos, cippos, rupices, stimulos, omne genus, quæ affatim insperfit, adeò nemo ignorat vnus, ut non Hectorem Græci, non Achillem Troiani tam perniciosè formidarint, quàm Delrium Hæretici. Viderunt non pauci in familiari congressu conuictique, quotiescumque homini, alioquin comi & humano, aliqua commemoratio vel leuissima eorum recordatio incidebat, toties ardere vultum, æstuare animum, nihil aliud anhelare, quàm eos ad meliorem mentem reducere. Quod vbi desperaret, tum stylum stringere, ad cotem asperare; acutè, non diffiteor, & aculeatè contra eos dicere ac scribere, atque Patrum auctoritatibus, & Theologorum rationibus iugulum petere; non hominum, sed errorum. Id cum in omnibus ipsius lucubrationibus manifestum sit; tum illud adnotare licet, adeò religiose Romanam Ecclesiam coluisse, ut illius semper iudicio libros sisteret, quoscumque, ab omni etiam periculi suspitione remotos, atque fidei Censorum arbitrio comprobatos, in hominum manus permisit exire. Vnum è multis dabo huiusmodi deuotionis carmen, quod in calce *Disquisit. Magicarum* scripsit. QVÆ-

CVMQVE

CVMQVE SCRIPSI; ea cuncta S. A. & C. R. Ecclesiæ iudicio, & piorum Theologorum censura subijcio: si quid ignaro elapsum, quod Ecclesiæ minus probetur, improbo, damno, & pro non scripto haberi volo. Idem necdum exactâ adolescentiâ in Senecam Aduersarijs adscripsit: idem alijs suis operibus. Ex quo procliue est æstimare nihil illi antiquius fuisse modestiâ & religione. Sic tamen, ut illam quodammodò fecedere iuberet, nec omnino iuberet, cum huius causa ageretur: acer enim tum erat, vehemens atque incensus, & non plumbeo sed ferreo pugione cernebat; hoc est, verbo dicam vnico, Damascenum imitabatur.

Alterum sacræ quasi pompæ ferculum, quam Damascenus in Ecclesiâ instruxit splendidissimè, Magnæ Matri, Magnæ Virgini debetur. Hanc enim tenerrimo quodam pietatis affectu, quasi melioris sibi vitæ parentem, coluit semper. Ex quo illud manus illi diuinitus restitutæ omnibus testatum gentibus, omnibus diffusum sæculis prodigium. Prodigium an Delrioni nostro à Dei Genitrice indultum fuerit cognoscere non potui; illud certè cognoscunt omnes, qui ipsius constantem, in hanc Reginam, ardentemque mentis impetum cognouerunt, non indignum fuisse, cui largior gratiæ, ætheriæque munificentiæ alueus ab illo fonte promanaret. Primas enim curas, quas in Theologiæ sacrariis publicæ utilitati vigilauit, & quibus in eadem scientiâ famæ suæ sui que nominis aleam iecit, anno clō. Io. xcvii. eidem Virgini anathema consecrauit. Eæ sunt *Florida Mariana*, in cuius operis fronte hanc epigraphen sculpsit, ære perenni victuram:

AMOR ER-  
GA D. V.  
MARIAM.

C

D. MA-



## D. MATRIS.

DEI GENITRICI SEMPER VIRGINI,  
 MISERICORDIÆ MATRI,  
 CÆLORVM, TERRÆ, MARIS REGINÆ,  
 CATHOLICÆ ECCLESIE PROTECTRICI,  
 HÆRESVM EXPVGNATRICI,  
 VIRTVTVM CVNCTARVM SPECVLO,  
 O. M. PATRONÆ,  
 HOC DE COROLLIS MVLTICOLORIBVS  
 SERTVM PANCARPIVM  
 VOVIT, PANXIT, SOLVIT  
 SERVVLVS MARTINVS DELRIVS,  
 ÆTATIS XLV.

ET SALVTIS HVMANÆ ANN. M. D. XCVI.

Aliquot pòst annis opus Marianum, non exiguum sanè volumen, omni scientiã doctrinaque refertum, nulli mortalium addixit; sed huic vni Virgini, Epistolã, velut sacrã syngraphã, id publicè professus illibatè iussit esse mancipatum: cuius operis vel ipsi tituli, quibus auctoratum prodiit, hanc præ se ferunt in Mariam amoris flammam:

SPECVLVM MARIANVM.

SPECVLVM PATIENTIÆ ET CARITATIS  
 IESV ET MARIE.

POLEMICA MARIANA.

& de quibus priùs differuimus, nunc iterùm prælo commissa,  
 FLORIDA MARIANA.

Siue igitur togam, siue sagum indueret, pro MARIA, in agmine proficiscebatur, stabat in acie; aut pro eadem in Theologorum senatu sententiam dicebat grauissimè,  
 &

&cùm penes eum esset honorificentissimè decernebat. Nec illo contentus magnæ operæ pretio; dictum à Salomone præfago quondam spiritu cælesti Sponsæ epithalamium explicare aggressus, & D. Virgini velut peculium quoddam conatus est vindicare. Loquitur illud inscriptio:

ERVCTAVIT COR MEVM VERBVM BONVM

## DE CASTIS NVPTIIS,

VBI SPONSVS AGNVS EST, SPONSA VIRGO PERMANET,  
 THALAMVS TEMPLVM, THRONVS ARA,  
 PARANYMVS ARCHANGELVS:  
 VBI PARTVS NON DEINTEGRAT:  
 VBI VIRGINITATIS LILIVM, FECVNDITATIS ROSA PURPURAT:

HOC QVIDQVID EST VERBI,

TIBI DEVS VERBVM,

A ME MINIMVM, SED A TE MAXIMVM,  
 MIHI CREDITVM, FIDE BONA RESTITVO;  
 TIBI TVVM DO, DICO, CONSECRO.

TE QVOQVE, VIRGO MATER,

COMPELLANS ORO, OBSECRO:

TV SPONSA SPONSARVM, HOC NVPTIALE MVNVS ADSPICE:

TV SERPENTIS ANNOSI CALCATRIX,

TV GENIMINVM EIVS PERPETVA TRIVMPHATRIX,

HOC TVERE, ET ME TVVM PROTEGE:

PROPHANOS HINC PROCVL PELLE,

PELLE IMPVROS,

PELLE PERFIDOS,

AMEN.

Multi hac ætate eximio quodam nexu MARIE ad-





dicti fuere: nullus tamen, aut vix vllus palàm adeò, frendente licet Hæresi, notum vulgatumque voluit exhortationibus ad studiosos institutis, aut scriptis accuratius libris. Quare si pristinae nondum clementiae oblita est MARIA, quâ Damascenum quondam complexa fuit, iam te quoque ô Del-rio, complectitur, & in cælesti thalamo, mellitissimo de canticis osculo suauatur.

RELIGIO.

Tertium erat Religionis perpetuae cultus: quem Pintiae (Vallisoletum hodie nuncupant) Del-rio in Societatem IESV adscriptus, eximio diuini velut numinis ictus iaculo inchoauit. Hic ille in Brabantiae senatum allectus, & eiusdem deinde Princeps, hic Palatinorum militumque iuri dicundo Praefectus, nuper ærarij opulentissimi & verè regij Quæstor, hic ille ad res magnas natus, perfunctus magnis, & maioribus maturus, omnem factum exuere, cunctis subesse, nulli imperare; & quasi nouellus tiro repuerascere propter Christum. Nullum erat tam vile abiectumque domi obsequium, cui non se promptum offerret, quodque non hilaris capesseret, veluti in eo natus atque educatus. Verùm ad Damascenum redeamus. Quod in illo illustrius Christianae Philosophiae monumentum reperiri potuit hoc facinore, quo *in*

*In vitâ  
Damasceni.*

*in* *lingulis monachorum cellis sordium domunculas expurgauit? Hinc grauissimorum virorum, sanctissimorumque Patrum exclamationes: Illas manus inquinare cœpit, quæ multis antea aromaticis odoribus fragrabant: dexteramque illam à Christo medicatam, luto & stercore conspersit. O miram viri demissionem! Hæc Damascenus fecit, hæc Del-rio. Neque enim erubuit, neque exhorruit eam corporis egeriem scopis euerrere, sportis efferre, quam*

quam emunctæ scilicet naris homunciones, qui in foricis non ita pridem nati atque educati, si nominari solùm audirent, putidè mox excrearent; imò & probra euomerēt, & in homines maledicta, & in Deum contumelias. Sed qui cum Apostolo *stulti propter Christum*, hæc dum legunt, illorum virorum admirantur virtutes, & vtili quadam æmulatione stimulantur ad eorum gesta suis factis adumbranda. Neque enim potest cælo esse dignus, nisi qui seipsum odio persequens, & quasi à corpore seducens, aliorum tendit, quàm vanissimorum hominum turba; quorum illud est, IESV CHRISTI stabulum exhorrescere, & de Herodis culinâ fumos captare. Verùm ad Del-rio reuertamur.

Post biennium in Religionis tirocinio collocatum, multaque & egregia virtutum exempla consecratis suis ad imitandum relicta, aliud quoddam tirocinium ingreditur. Cùm enim Parisijs ad moralem Philosophiam omnes cogitationes contentionesque suas alligasset; ac differendi subtiliùs facultatem, eamque, quæ de naturâ spinosiùs disceptat, quæque de Deo, de summis rerum generibus, de vniuersis, lateque imperitantibus disciplinarum pronuntiatis commentatur, minùs enucleatè pertractasset; consultum moderatores iudicarunt, iterùm manipulares inter adscribere iam pridem emeritum. Nec verbo quidem reluctari Del-rio: sed tot clarus magistratibus, tantâ scientiarum varietate ad miraculum conspicuus; post doctissimos libros in lucem editos, post adeptam in Iure lauream; post scriptos legum commentarios, vir litterarum rerumque gestarum gloriâ florentissimus, trigessimum secundum an-

PHILOSOPHIAE  
CURRICULVM  
EMETTITVR.

num ætatis agens, cum pueris atque adolescentibus inter aculeata Dialecticorum vepreta luctari non erubuit, & quasi ad palmam sollicitus anhelare. Vtinam hæc legerent, vtinam spectassent coram, qui nuper eum vocitarunt *virum nimis gloriosum, & nimis superciliosum!* In hoc Philosophiæ cursu triennium desudauit: in quem Narcissuli nostri & Hyacinthuli vix pedem inferunt, quin referre studeant. Hinc apud parentes putidè ratiocinantur, nihil Philosophiæ salebras ad sacra Iurisprudentiæ & Theologiæ templa ascendentibus prodesse, remorari potius; oleum & operam se perdere; tempus pretiosissimam possessionem profligare; hoc interim molientes vnicè, vt

— *custos purpura cedat:*  
& — *candidus umbo*

*Totâ impunè sinat oculos sparsisse suburrâ:*  
frenum subire impatientes, seiplos regere impotentes. His tamen pupis aurem præbent egregij patres, bullâ digni & loro. Demus enim in Philosophiâ non omnes primas obtinere, demus eiusdem intima abditissimaque scita ac decreta non omnes intelligere, non omnes iis indigere; exercetur tamen omnium ingenium, acuitur iudicium ad argumentorum Gordios nodos in Iurisprudentiâ, in Theologiâ, aut soluendos, aut ferro præsecandos: quibus miselli illi capti intricatiq; dum tenentur, vt simia olim in fabulis, lautam omnibus segetem exhibent cachinnorum: domum verò cum reuertuntur, ex hoc mustaceo non lauro sed hederâ coronati, non Iurisconsulti sed Bacchuli, quorum lacertis Respublica niti deberet, hos nutricum humeris ferri necessum est.

Del-

Del-rio noster triennium hoc cum exegisset, in Belgicam terrestri itinere se recipit, cetero feliciter, nisi quod Burdigalæ morbus iniectâ velut manu eum coëgit subsistere, vt in acerrimis cruciatibus suæ tolerantia rudimenta perdisceret, atq; exercitam instructamq; semper haberet. Hic dum lecto iacet afflictus, nuntium ex Lusitaniâ accipit, de patris sui ex hac vitâ discessu, qui tunc Olyssipone Regi erat à consiliis, post fisci regij in Belgio Præfecturam. Is aliquot ante mortem annis, adeo naturæ viribus, omniq; vigore destitutus erat, vt infantum more ad rattam & mammam redire cogeretur, & nutricis vbera fugere. Tulit ille parentis mortem Philosophicâ, imò Christianâ mente; & quâuis eum eximiâ semper pietate ac veneratione profecutus esset viuentem, mortuum sanè nullis næniis profecutum iudicauit: sciebat hunc orbem peregrinam esse regionem; corpus carcerem; cælum verò domicilium: huc eum peruenisse sperabat, se breui subsecuturum. Valetudini redditus, iter intendit. Quo confecto, partim Louanij, partim Moguntia, Sacrarum litterarum studio & cognoscendis Theologorum consultis omnem operam atque industriam consecrauit.

Anno deinde cIo. Io. xcix. Duaci Philosophorum familiam duxit, summâ ingenij laude; & accuratissimis dictatis discipulos, quibus discendi ardor ac studium erat, in sui admirationem pelliciens. Præclarum sanè argumentum modestiæ, sinceriq; iudicij, circa Philosophicas disceptationes (quod vtinam amplectantur omnes) in Epistolâ quadam ad discipulum anno cIo. Io. xci. scriptâ Leodij hinc iuuat describere: *Non tam quid subtiliter, quàm quid solide & verè, attendatis.*

Anno cIo.  
Io. LXXIV.

PARENTIS  
MORS.

THEOLOGIAM  
AGGREGATVR.

PHILOSOPHIAM  
DOCT.



*dati. Dico expertus: multa ad adsp̄ctum primum acuta; qua tempus & ætatis maturitas, & doctrinæ accessio postea discutit & excutit. Nec tam quid defendi possit, (quid enim in Philosophicis istis altercationibus non litigiosum? quid quod ab ingenio mediocri neque at pertinaciã tueri? quod non solui utcumque possit, & si non dissoluitur, quod non ad campanæ disceptationem soluentis pulsus que at extrahi verbis clamoribusq;?) quàm quid grauioribus scriptoribus (quorum mihi primus Princepsq; D. ille Aquinas) placuerit. Nouitas omnis periculi plena. mihi non omnia antiquorum dicta Prænestina sortes: veriora tamen pleraque comperior, quàm hæc nouitia.*

MORALEM  
THEOLO-  
GIAM DO-  
CET.

Duaci non diu substitit: Leodicum enim conscientiaẽ iura interpretaturus subito euocatus est: quo in munere quantã diligentiaẽ versatus sit, quantaque religione Dei vnus gloriam præ oculis habuerit, in Epistolâ ad H. Rofweydem velut solis radiis exaratum licet intueri: *Vin' & de me aliquid? firmã sic satis fruor valetudine. doceo Moralem Theologiam; breui eã quæ de Censuris est absoluam, hoc spero mēse. intra triduum certè explicationem casuum bullæ Cœnæ Domini auspiciabor, si Deo placuerit. post Iustitiã & Iniustitiã equor ingens, equo, ut ille ait, ligneo arandum. Fallor. anserino dicere volebam, & lingulã. auditores domestici octo: externi quot? pollice dempto quot in reliquã manu Digitij fratres; idq; cum plurimi: sæpè, dumtaxat vnus, singularius. Quid meã? equalis labor æquabit mercedem. An non hæc potiora illius Philosophi humili in speciem, sed vanã aliã linguã? Satis, inquit, mihi sunt pauci, satis est vnus, satis est nullus: cum tamen is esset, cui nihil erat satis, gloria ancillariolus.*

Sen. ep. 7.

Nullum

Nullum magis eximium opus, totius vitæ ambitu, nihil magis industriè, magis feliciter videtur peregisse, quàm singulare illud, & paucis cognitum facinus, dignum æternâ prædicatione, quo I. Lipsium, V. C. omni inuidiã & æmulatione superiorem, ad partes nostras (id est, Ecclesiæ & Dei) non timidè aut ignauè, sed palam inter multorum circumlatrantium canum rictus, inter leonum rugitus defendendas adduxit; illique fuit, quod Ambrosius Augustino. Dabit veniam, religiosi manes, qui nuper inter has etiam opinionum tenebras Deum mente comitabamini, qui nunc illum in luce omnis sapientiæ beatitatisque complectimini, quantum hominibus Deum complecti fas est, si ad vtriusque vestrum gloriam eas litteras proferam, quas orbi profuturas iudicavi vniuerso. Hæ sunt Lipsij ad Delrionem; quorum adhuc autographum superest: syllabatim exhibebo.

CVM LI-  
PSIO CON-  
TRACTA  
NECESSI-  
TYDO.

REVERENDE PATER:

**A** Mor noster vetus & verus non permittit ut te celem facinus grande, quod patraui. Dei benignitate eripui me è laqueis, quibus implicabar, & saluus atque incolumis perueni in Germaniam ad Patres vestros. Mentior, saluus. Aeger perueni, & pressus pondere peccatorum. Sed Dei misericordia, ope Patrum, illis quoque me liberavit, & hoc vnum superest ut perseuerem in bonã viã, & firmo eam pede calcem. Iussa õ me tuis precibus. tu, inquam, qui ad hanc me in parte duxisti, post cuius salutares litteras Deum iterum iratum habeam, si vquam conquieui. Nocte & die me fodit ille stimulus, nec ipse somnus mihi nisi per insomnia inquietus. Deo gratia

D esto,

esto, qui inuitum quasi & reluctantem sic eduxit, & posuit in locis ubi mihi, Ecclesia, & reip. possim esse utilis. quod serio recipio me (illo adiuuante) facturum. Sum nunc apud Patres Moguntiaci, & inter primas curas habui, ut hac paucula ad te exararem. Latere frater, qui verè fratrem & amicum recepisti, & ignosce omnia praterita, ita Deus tibi quoque ignoscat. Precibus tuis & Patris Orani me commendo serio, serio. quem participem facere huius nuntij potes, sed solum. Nam diuulgari non expedit, quia uxor, familia, & rescula mea etiam nunc sunt apud Hollandos. Breui eripiam, & palàm bonis me redam. Ora, ora pro me. Moguntiaci, XIV. April. ∞ .IO. XCI.

Nunc demum tuus verè frater

I. Lipsius.

Quid hæc contra illi rabulæ & blatterones, qui fucum detergere, & personam Lipsio decutere minantur? Volunt plura? in Epist. ad Ludouicum Thouardum anno cIo. Io. xci. cùm traduci se & sui absentis nomen velli cari audisset, illudque spargi, minùs sincerà candidaque mente nomen dedisse Romanæ Ecclesiæ, sic exclamat: Deus fulmine suo me perdat (cogor enim aliquid pro affectu ardentius dicere) si est aut fuit in totâ hac actione meâ aliquid simulatum. & omitto Deum omniscientem illum iudicem, & omnia vindicantem: apud homines ipsos ita prostituam meam famam, ut palàm ita proditor sim & audiam? Qui aliquid sinceri iudicij adfert, & oculo non iniquo intuetur meam causam, videbit ne posse quidem me aliter ambulare quàm pede recto. Quod feci, quod facio, quod faciam, securus de humanis iudiciis, quibus in malignam sententiam ego quidem non sum causa.

Hæc

Hæc pro Lipsio, cùm de Del-rio agimus: facilè enim amicus amico, ubi res postulat, decedit vrbane de viâ. In quam ut ego redeam, ecce eruditissimam Del-rio epistolam, quâ Lipsij litteris respondet, quas protulimus.

VIR CLARISSIME:

**P**Ax Christi, &c. \*E' σοφ μὲν δ'. Facinus præclarum, dignum viro, sapiente, Christiano. Latari me dicam? triumpho. Beavit me prorsus epistola tua, quam Moguntiaci scriptam XIII. April. recepi Kal. Mai. Digtum agnosco Dei. non aliter potuisses tam valida, tam multa vincula disrumpere. Eduxit Angelus Domini ex Gomorrhâ. quid ni sic vocem eam, cuius facta nominis originationi tam bellè respondent? eduxit finibus, quibus diuina non deerit vltio, & tarditatem grauitate compensabit. eduxit dicens; Salua animam tuam. Audiuisti? sed & illud audi; Noli respicere post tergum, nec stes in omni circâ regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. Non peribis, nisi respicias. Memores (inquit Salus nostra) estote uxoris Loth. non credidit stulta monenti, respexit post se, & versa est in statuam salis. sibi inutilis, & infacunda meriti; utilis aliis, & quæ sapientiam prudentiamque nobis, qua condiantur salianturque actiones nostra, præbeat. Memineris constantis perseuerantia. dimidium facti, sic cœpisse; sed irritum, nisi telam pertexas. Respexit te paternus ille oculus; tu tantum in illum Solem, qui illuxit, non retrò. Non diffido, sed amans metuo securâ. Natus in corde tuo IESVS; fuge Herodem ne paruulum ac tenellum opprimat. serpens calcaneo insidiabitur: caput contere. caue falsorum amicorum subseffas. Epicharmi

D 2

illud



illud in corde tibi, Non temerè credere. Amicitiam prae-  
xent, & pulcra nomina Hospitij, Professionis, Hono-  
rum, Opum. vana partim haec, partim falsa; pernicioſa  
omnia, quia in mortem veram perducent. quid si non per-  
ducerent in illam aeternam? non tutus reditus, unde tam  
intutus exitus. Dolos illorum, & vindictæ appetentiam  
tibi propone. Multa manent aspera: perage, quaſo, te-  
cum animo prius. Quid asperum, quod ad animam vitam,  
qua sola vitalis? Præpara cor ad tentationem. dictum id,  
omni, ex diuerticulis, ad viam redeunti. Ringentur, fre-  
ment, cuncta molientur, non Albionei modò, sed &  
despecti illi Hospites: de quibus tamen ita meritum te ſci-  
mus, ut tuis iniqui esse non debeant. sed nosti Neptuni  
filiorum indolem; imitantur cognatum elementum, pel-  
lax, sauum, turbulentum, infidum. Sed, arcam Noëi in-  
gresso, diluuium contemnendum. Sine Pasiphaës & Tau-  
ri biforem fœtum (utinam ô tu Minos tandem exper-  
giscare ut serio serò adulterij huius pœnas exigas, & præ-  
repta uxoris indignitate moueare, ut decet!) vanis cor-  
nua ventis iactare,

Πολλὰ μάτῃ κεραιόσω ἐς ἡέρα θυμῆναιτα.

quàm egregiè Atticus ille, reip. utilia meditans, aduersa-  
rios bonorum contemnit:

Πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάδω,

Καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταίνω.

Τὸ γὰρ δὲ μετ' ἐμῆ, καὶ τὸ δίκαιον

ζύμμαχον ἔσαι.

hac tibi lorica triplex, hoc robur & astriplex tuo pectori, hoc  
incepta viâ filum Ariadna. Quo fuisti lentior, hoc nunc,  
obsecro, propositi sis tenacior. nihil durum, si duras. nihil  
serum,

serum, si serium. Augustinum adspice: quamdiu relucta-  
tus? vas electionis intueri Paulum: ictus, territus, pro-  
stratus sapit. postea, qualis vterque athleta? quas hostium  
strages dedere? quid illos à Christi caritate potuit separa-  
re? In te, mi Lipsi, Deus multa congeſſit ingenij, iudicij,  
eruditionis, & eloquentia dona: sed dona accepisti, non ut  
abutare ad ambitionem aut inanis gloria auram fallacem;  
sed ut utare ad gloriam Dei, ad Ecclesie sponsæ Christi  
ornamentum, ad reip. defensionem, ad proximi utilitatem,  
ad tuam salutem. posuit in hisce locis; imò genuit, & pe-  
perit de nouo in nouam lucem & vitam gratia. Aχαι-  
sica nobis fugienda in tam bonum, tam patientem, tam mi-  
sericordem, tam liberalem; quòd induxerit, eduxerit, per-  
duxerit. nihil hic meum agnosco: illi laus, illi gloria; qui so-  
lus laudabilis, solus gloriosus. illi gratias referamus; ego  
quidem ut tuo, sic meo agam nomine continuas: obsecra-  
bo, quod petis, instabo precibus, urgebo sacrificiis, suum ut  
beneficium tueatur. illi te debeo: quòd receperim fratrem,  
qui perierat; rediuuium, qui interierat; surgentem, qui ce-  
ciderat; firmum saltem & constantem, qui nutabat, &  
claudicabat. Agnoscis ipse, & quia agnoscis, nosco saluū.  
Quem pœnitet peccasse, pœnè est innocens: illi sanè, qui fe-  
rit, ut sanet; increpat, ut reparaet; mortificat, ut viuificet.  
Ab illo nobis venia petenda. Molestum sanè, molestum  
mibi, quod addis; cum præterita petis, ego ut homuncio  
ignoscam. Quis ego, ut offendi me, à te præsertim, existi-  
mare debeam? qua tu me in re vel offendisti, vel offendere  
potuisti? numquam id censui, neque amicitia vinculum  
abrupi: si quid nonnulli de me aliter tibi, noli credere. Suspi-  
cor, quid suspicere. aculeata quadam in me tua, in scriptis

nonnullis. strinxere cutem, sed cutem, nil amplius. erant de aliis aliqua, erant in alios, aut ad alios minus cauta, quæ maluissent in lituris, quam in litteris: erant quæ multis, & mihi ex multis vni, displicebant, fortè merito; sed nonne hæc poterant emendari, & quæ data partibus, apud meliores in melius commutari? Ad Plantinum (cuius animæ sit optimè) ante biennium miseram Syntagma Latina Tragædia, in quo nouus in illas decem Tragædias commentarius, & in fragmenta ceterorum opinationes, aliæque nonnulla: erant in iis quedam non prorsus exarmata, asperiora fortassis, quam ut mollicelli quidam putabant oportere; erant seuera in sectam illam seueram; præfractos illos & hispidos, qui poteram leniter demulcere? si in rosâ collocassem, verebar ne cū barbato illo Cynico calcarent. & mihi crede, quicquid ibi mordacius, non in te, sed in tua quedam, quibus Porticum nimis animosè tuebare. Non ut offenderem amicum: sed ut adolescentulos ab illâ lue auerterem; quorum iam plerosque non duci, sed rapi videbam. phaleris Chrysippæis. Sed nec illa (benè sit Moreto, qui dum fidem mihi à socero paullo ante obitum per litteras datam, de excudendis Cothurnatis illis nanis, præstare differt; causa fuit cur nondum earum quidquam in vulgus) prodire ad manus hominum; nec tam citò, ut scit P. Oranus, proditura; nec proditura, nisi à te visa, & approbata: (non id mihi negabis, si amicus) & si verum amamus, quid ista, nisi nugæ, nugæ nugacissima? non placent mihi, qui propter litterarias dissensiones, minus amici semel amicis. fui amicus, sum, ero dum ero. Poteras itaque satisfactionem prætermittere. Sed siue quid fuit exulcerationis, siue non fuit; sincerè & verè à iunioribus. Curemus,

mus, ut qui dissidium quarebant (si apud te aliqui, nam apud me nullus) amicitia officia intelligant ommissa per temporis iniuriam; amorem, quæque hunc fouet opinionem, altiores animo radices egisse, quam ut leuiculis susurronum flabris potuerint reuelli. Deinceps, si vis & vacat, commercium epistoliticum spondeo, de studiis, litteris, officiis, iocis, seriis; non gnatonicum, aut fumi fucivæ vendulum, sed candidum, liberum, amicum. Si quid intereâ possum tuâ causâ, vno dicam verbo, impera ut amico, ut fratri. Si huc ad nos, quo nihil mihi futurum iucundius, neque optatius; non falles spem meam, & Pet. Orani, & Dominici Lampsonij, amicorum auidè te exspectantium. Multa mihi nec parua, nec leuia, quæ in rem tuam tecum malim coram. Salutat te P. Ioannes Oranus hodie Aquisgranum valetudinis causâ profectus, inde cogitat Spadanos fontes. si & eò tu, iniurius nisi porrò inde huc ad nos. Salue mi Lipsi, salue frater, saluum aduenisse gaudeo, eritne ut saluum videam, & amplectar gaudens, quem depositum luxeram amarissime? Leodij 11. Maij. cl. l. xci.

Tuus in Christo,

Martinus Ant. Delrius.

Hanc Epistolam cum recepisset V. C. I. Lipsius sic alteras exorditur: Vtrum tu epistolas ad me an thesauros mittis? reuera tales sunt, vberes salutarium imò & celestium præceptorum. Mihi crede, mi frater, spiritus ab alto est, qui talia tibi dictat. Tanta deinceps necessitudo, & sacra velut propinquitas vtrumque coniunxit, ut fratris se inuicem nomine salutarent: tanta Lipsij in Delrium, tamque ingenua obseruatio ac reuerentia, ut eum, quasi vitæ moderatorem, scriptorumque suorum censorem adsci-

Anno 15. xci.  
Kalendis  
ipsis Iunij.

adsciuerit: quod pluribus iussit testatum litteris. Vt omitantur ceteræ, epistolam xcv. Cent. I. ad Belgas à limine visamus, quam ad eum scribit, dum Græcium abisset: *Falsus*, inquit, *sum in tuo discessu. Doliturum me in absentia sciebam: sic doliturum nulla opinio fuit, sed res condocefecit. serio, destitutus mihi videor: de scriptis & ingenio etiam loquor,*

— *labat incerto mihi limite cursus*

*Te sine, & orbat & caligant vela carina.*

Non auribus ea Lipsius, sed veritati dedit. Dolebat virum abiisse, qui nec Timonis allia, nec Diogenis oleret nasturtia, multò minùs Epicurei delicias hortuli; sed frugale Lyceum. Qui nihil, inquam, in scriptis aliorum inuidè, nihil adulatoriè censeret. Talem sibi ereptum etiam apud familiares suos, ac imprimis Balthasarem Moretum, deflebat; qualem vix vnum reperias inter tot censorum Gargara. Hisce frustum addo non insipidum ex Delrionis ad Rosweydam, quibus mutuam in V. C. amorem toto pandit sinu, non eum, qui in labiis hospitatur, sed qui in pectore penitisque fibris ac medullis. Scriptæ sunt, cum primùm ille Leodicum peruenisset ex Batauiâ, & noster intellexisset, nescio quid, de libellis quibusdam eius in publicum edi vendique prohibitis. *Amas me?* (verba sunt Delrionis ad Rosweydam) *Serio, sedulo inquire, qui vendi prohibiti libri: & quid in his, quod improbet, annota, & ad me perscribe. Calidè istud peto, quia Lipsium calidè amo. Si quid in eius scriptis, quod in suspicionem bonis venit; statuit explicare, vel tollere. Sentit apertè nunc cum Ecclesiâ; quod semper clam sensit. animo fuit inter malè sentientes numquam, corpore tantùm. Ille*

*me*

*me sibi ad conscientia res Iudicem delegit.* Hæc diductius non nihil referenda fuerunt, vt viris huius æui doctissimis coniunctissimisque suæ societatis in litteris exponendis, in virtutibus excolendis, fructus non emarcesceret, aut liuido pestiferoque dente attereretur.

Annis iisdem, quibus Leodici versatus est, orationes FLORIDA MARIA-NA. pleraque contexit; quas cum ibidem ad Partheniorum Sodalium coronam pronuntiaffet, anno deinde c. l. o. xcvii. typis mandauit imprimendas, & inter *Florida Mariana* recensuit. Quæ cum illius in Theologicis rebus primordia sint operû, & à plerisque pingui Mineruâ, vt hominum iudicia sunt, dicerentur conscripta, ac quasi leuidèso contextu, de stylo suo præfari necessarium habuit. Pauca dabo de multis. *Scriptio & character, nisi fallor, titulo* STYLVS. *consentanea, & auctori. Hic se Theologia saltem candidatum, non litteratorem esse meminerat: & cum ista diceret, non Rhetorem agebat, aut Grammaticum; sed eam sacra sapientia partem, quæ de vitæ Christianæ officiis disserit, ipsam quoque Scripturam sacram publicè profitebatur. Quis ergo iure damnarit, si Christianus, quàm Ciceronianus maluit audire? si Cyprianum, Hieronymum, Pacianum, Ambrosium, nonnumquam & cum Tertulliano atque Arnobio Sidonium & Althelmum, quàm cum Cicerone & Terentio Paganos alios in hortulis suis maluit spirare? Meâ quidem sententiâ non rectè, nec prudenter faciunt, qui vno Tullio cuncta metiuntur, & ipsi quoque Socrati Sicyonia inducunt. Placet Jurisconsultus cum Alpheno, Scauolâ, & Papiniano loquens. Placet Medicus, cuius Latinitas Musam, Largum, & Celsum sapit. Placet Orator, qui Ciceronem, Declama-*

*E*

*tor,*

tor, qui Fabium & Senecam; Historicus, qui Sallustium, Caesarem, Tacitum; Poëta, qui in Epicis Virgilium, in Lyricis Horatium, in Elegis Tibullum & Propertium, in Orchestrà Cordubensem nostrum imitatur. Est suus cuique materia & scriptioni genius, est peculiaris quidam character. Qui cōfundunt; nonne per similes ijs, qui eūdem à milite & rustico, ab equite & pedite gradus & incessus modum postulent? Hæc & his plura non immeritò, nec inficetè. Fuère enim non pauci, qui, vt Attilium Lucilius, ferreum eum scriptorem nominarent; alij, qui ferrumina- torem, vt Hermolaum Barbarum Bartholomæus Scala; alij aliter. Studebat sanè verborum proprietati, nec tritâ semper viâ incedebat, sed arduam potiùs dictionis orbitam sectabatur; aut inter salebras interdum, si dictionis nerui ac lacerti id postularent, noua premebat vestigia: malebat positus in abrupto castris vel disputando veritatem propugnare, vel exhortando auditorum animos expugnare, quàm in molli solo, eneruataque deliciis valle, sine fructu, sæpè cum dispendio luxuriari: & hanc laudem sibi vsurpare nitebatur, castigatè vt diceret, & doctioribus potiùs placeret, quàm indoctioribus vilesceret. Nam solent plerumque, nescio quo fastidio malè nauseantis stomachi, homines minùs sobrij carpere eos qui editioribus insistant, & illustria prosequuntur; & carpere item, qui prona ac familiaria: nec medium iudicare quidquam, nisi quod nusquam sit. Quantum verò in amœnissimis Tullij viretis, & circa floridos illos labentium modulato cum susurro riuulorum margines, in pueritiâ oblectatus fuerit; docent ex litteræ, quas ad Granuellanum, ad Parentem suum, ad Ludouicum Delrionem, Solino,

Solino, Claudiano, Senecæ præfixit: quæ nisi stylo scriptæ sunt Ciceroniano, paucos eo nomine censendos dixeris. Verùm cùm desertis illis siluulis profanisque myrtetis, frugifera inter Patrum pomaria obambulet assiduus; vt iis qui in sole versantur accidere solet, alium ab eorum calore colorem duxit, & lacteam illam molliculamque cutem virili more infuscauit: fortior, si non venustior.

Iam triennium apud Eburones Moralem Theologiam professus erat, cùm Tornacum se conferre iubetur: vt ex legibus, quibus voto se obligarat, non nihil temporis ad quietem sacrasque commentationes & exercitationes à studiorum tumultibus subduceret; atque, quod Seneca suadet, *se sibi vindicaret*. Hic iterùm Philosophum Theologumque exuere, & inter tirones quasi tiro proiectissima quæque munia ambire: lacerâ interdum & squalidâ lacernâ indutus œconomum comitabatur; & quæ ille in foro emerat, per mediam urbem spectante omni populo ad collegium deferrebat senatorius & censorius baiulus, aliis admirantibus, aliis vicissim illudentibus. Inter hæc animo efferebatur, cùm in memoriam reuocaret, ideò se & fasces & purpuram deseruisse, vt hîc summo Regi simillimus, in cælo proximus esset: tanti sibi esse & maioris illud, non iam Pythagoricum, sed Christianum, \*ἐπὶ Θεῷ. Vnum id præ reliquis domesticis stupebant omnes, tantum virum oculis caligantibus, & pænè cæcutientibus, gnauiter & prompto libentique animo, dum alij mensæ assiderent, stantem, aut in loco anagnostæ solito incommodè sedentem, librum aliquem pium de more prælegere, & ad alterius arbitrium

TORNACI  
INTER  
TIRONES  
EXERCITVR.

\*Sequere  
Deum.



trium accentus & tonos vel inuertere, vel dirigere. Quod quidem quanti sit, norunt illi præsertim, qui in religiosis familiis degunt, & huiusmodi se exercitiis subigunt.

Annus in hisce fluxerat: iterum Louanium profectio-  
nem adornare cogitur; vt Sacras publicè litteras inter-  
pretetur. Hic dum esset, omne tempus, quod à docendi munere supererat, colligere, & posteritati imputare: nihil oculis quidem suis indulgere; quibus, seu ex lampadum lucernarumve fuligine, seu ex humoribus per laborem excitis, & continuo scaturientibus, priuandum minabantur medicæ chirurgicæque peritiores. De Magiâ latius differendi opportunitas cum se obtulisset, huiusce rei necessitatem perpendens, eam arripuit ansam, & in hunc locum euagatus est. Non poterat enim secundum pectus, & diuini ardens honoris zelo, manum de tabulâ tollere. Itaque cum in hunc locum diuticulè euagatus esset, concilium cepit libros de Magiâ conscribendi; opus certè, ad quod construendum omnes artes desudasse videntur & disciplinæ. Quod nec ipsi quidem veritatis perduelles hæretici inficias iuerunt. Clamare tamen contra, an oncare potius cœperunt, quin imò eiulare, lamentari, quòd inter Stryges & Telchinas de viciniâ vapularent. Dederant occasionem ferulam vibrandi seuerius nonnulli, qui illotis pedibus se immergebant in sacrorum penetralia, & ibi dominari volebant, vbi ius ipsis nullum. Proscribebantur Theologorum Principes: iruebant in eorum possessiones nepotuli nescio qui, & in litteratorum senatu suffragium sibi arrogabāt proletarij, & capitecensi. Agitabat horum plerosque hæreseos ferale quoddam hippomanes, alios incitabat scribendi cacœthes:

LOVANI  
SACRAS  
LITTERAS  
EXPLI-  
CAT.

DISQVI-  
SITIONES  
MAGICAE

coëthes: & erant, qui cæstro perciti in omnes ferebantur, & nullius ferebāt occursum: iamq. latius hæc pestis graf-  
fabatur. Quid faceret? Non tulit hoc Del-rio, vir *et refel-  
lere sine pertinaciâ, et refelli sine iracundiâ paratus*. Qua-  
re, vt erat solers, explorare adnissus vbi vlcus suppuraret:  
tum sale & aceto ibidem perfricare, scalpellum aduocare,  
ignem admouere: ingenuè, quæ probanda forent, probare;  
quæ refellenda, refellere; figere quandoque dentem, non  
liuidum, sed amicum. Pupugit virum politionum artium  
scientissimum, magni patris sobolem; verum animi con-  
citatione, & temeritate quadam iudicandi abruptè ni-  
mium quantum præcipitem. Vtinam ille Lipsium imita-  
ri, & patronum experiri voluisset, quem sensit aduersa-  
rium! Inuidit hoc bonum hæresis ferox & immanissima  
hyæna. Nemo interim mirari debet, si Del-rio aliquan-  
tum lautius solito hos fæcutinos ad balnea & thermas  
defricauerit. tantamenim illi nauseam iam pridem omni-  
bus excitabant, vt ferre posset nemo; & non pauci strigi-  
lem acuerent. Est viri prudentis, quantumcumque mitis,

\* *Ἀγνεῦσαι δ' ἀκοῆς βλασφημοσύνης ἀλεγεινῆς:*

& acerrimum calumniæ morsum, ac Medij cicatricem  
euitare, si possit; si non possit, obducere. Hac tamen in re  
aliter, quàm plerique opinantur, se gessit: potius enim cis  
metam constitit, quàm vltra prouectus est. Quam mo-  
destiam vir omnium modestissimus Iustus Lipsius pro  
familiaritate mutuâ in eo reprehendit, tamquam torpo-  
rem nimis remissum. Erat ei, non nego, vt & I. Lipsio,  
vibrans quædam & amentata dictio, cum rerum æquita-  
te fretus, & iustitiæ Dei que amore impulsus, stylum co-  
ruscaret; non conuiciis & maledictis medicata, verum

\* *Puras ha-  
bere aures  
à molestis  
calumniis.*



acie suâ penetrabilis; nec qualis ex plauistro histrionum, & mimorum, sed quæ Philosophorum exedris digna; magis salutaris, quàm vendibilis: denique quæ omnibus prodesse vellet, obesse nulli: quamque velut gladium in vaginâ continebat, & non nisi ad inculpatam tutelam stringebat; non tam sui, quàm veritatis. Nec illud quifquam improbat, nisi qui suæ improbitatis conscius, medicorum ferro cum nolit sanari, mauult adulatorum vngue scabi & titillari. Licuit, semperque licebit, vel sui defendendi causâ, vel aliis opitulandi, ferrum cudere, etiam litterarium. Hoc Delrius in *Magicis disquisitionibus* fecit: fecit quod licuit. Eos tamen commentarios non tunc edidit, quando conscripsit, sed triennio permittit maturescere: nec eo contentus, aliquot iterum post annis, hoc opus putare, imò rigare potius cœpit: adiecit plurima, direxit pauca; & anno Cl. lxx. v. Moguntia, anno Cl. lxx. viii. Lugduni permisit in lucem prodire illustrius & exaggeratius.

Hæc sunt quæ Louanij partim inchoauit, partim ad umbilicum perduxit; vsque ad annum Cl. lxx. xcvi. Hoc enim anno, cum *Florida Mariana* nobili clarissimoque viro Carolo Billeo inscripta velut amoris tesseram reliquisset, Moderatorum ductu Hispaniam cogitauit; sed cogitauit tantum. Cum enim in portu Iccio ventorum tempestate, vitæ periculum adiisset: nec spes foret prædonibus circum grassantibus, valetudine non minus, quàm auræ improbitate cælique pertinaciâ renitente, eum in Hispaniam appellere incolumem posse; Leodicum reperit: ad quem tum Lipsius amoris indices litteras dedit, quas rei huiusce commemorandæ causâ partim at-

texam.

HISPANIA  
COGITAT.

texam. *Iam nunc tuas vidi, sed egone ut sileam in tanto meo gaudio pariter & dolore? Dolui, dolui tuos casus,*  
— *dura nauis,*

*Dura fuga mala, dura belli.*

*Omnia conspirarunt in te, sed pro nobis: certè pro me; qui te ubicumque retineo & animi sinu inuoluo, sed propiorem malo, & sapius aut litteris aut aspectu etiam frui. Quis vel hunc mihi eripiat, cum in Belgicâ es? adibo & reperiam te, ubi ubi locorum eris.*

Hæsit Leodici non multis mensibus. Inde enim (siue Lipsij desiderio, siue consilio, seu quâ aliâ opportunitate; & studiorum, ut reor, maximè; quorum in eâ Academiâ commercium, & cum aliis facilius, uti in litterarum emporio, & cum Lipsio iucundissimum erat futurum) rursus Louanium commigravit. ubi præter Scripturæ sacratoris studium alternis septimanis concionandi munus suscepit. Dixit ad Deiparæ Sodales magno pietatis sensu, sed doctè, politè, enucleatè. Quâ in re adeò se submisè & non arroganter, ut quasi elementarius senex, (ô gloriosum, ob Dei honorem, assumptum nomen!) sollicitè & obnixè collegij Moderatorem consulere, quid præcipuè dicendum, aut quomodo dicendum esset; quàm diu, quàm concitatè, quàm remissè; exiliùs, an elatiùs. Nihil verò explicandum assumebat, quod non priùs ille præscripsisset. Nec veritus id palàm profiteri: sic enim ait in exordio secundæ S. Lectionis, quam *speculo Mariano* inseruit: *Cum eos, quibus vitæ meæ, studiorum actionumque cura fuit à Deo commissa, & in quorum voce loquentem Deum me agnoscere par esse scio; quibus interrogarem de rebus potissimum ad vos (Sodales Parthenij) me verba facere*

SACRÆ  
LECTIO-  
NES.



facere vtilius esset; illiq; responderent, id fore si de Speculo Mariano, hoc est Deipara moribus, differerem: visus sum audire illud à Deo Propheta Isaiâ imperatum; Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis. Hisce

BICENDI  
CONSE-  
TVDO.

concionibus & illud præclarum inerat; numquam eas ex præcoce quadam & aliorum contemptrice arrogantiâ extemporales fuisse; non ex iuuenili leuitate, aut impudentiâ potius, parum meditas: sed quod Cicero in grauioribus, hoc Del-rio in hisce piis & sacris orationibus; verbis dicam paucis, quæ Suetonius vsurpat in Augusto: Numquam dixit, nisi meditatâ & compositâ oratione; quamuis non deficeret ad subita ex temporali facultate. Ac ne periculum memoria adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Ita cum diceret, & ea quæ dixerat politè cum perpoliret postea, anno cLo lxxvii. Horatio Cardon euulganda permisit, & posterorum vtilitati propaganda. Hoc Dei obsequio egregiè perfunctus, dum à docendi dicendique munere otia- tur, noluit otium suum perire: sed quasi in Caietano li- tore conchas & vmbilicos legeret, *Orientium* præ fene- stris incommodo vlcerosum, adscitis variorum opina- tionibus sanitati restituit; & Notis, tâquam viatico quodam, instructum foras anno sæculari prodire concessit. Sub idem tempus, cum in Societate IESV agendo patien- doque fortiter, verè se Religiosum comprobasset, solem- nibus quatuor votis, Deo & Dei locum gerentibus pu- blicè factis, illis nexui se æternùm addixit.

ORIEN-  
TIVS.

FIT DO-  
CTOR  
S. TH.

Hinc Grætium abiit. Quâ in vniuersitate studiorum, nuper institutâ, S. T. supremâ laureâ insignitus, diuinis iterùm arcanis referendis præfectus est. Incredibili om-  
nium

nium approbatione gnauiter huic rei incubuit, Serenissi- mis Archiducibus Austriæ carus, & honoratus inter pri- mos. Vfus interim opportunè Germanorum chalco- graphiâ, in *Cantica Canticorum libros* liberè in vulgus ire iussit, magni laboris opus, & limati iudicij.

COMMENTARIUS  
IN CAN-  
TICA.

Triennali rursus studio peracto, quòd Hispania om- nino in votis esset, & medicorum sententiâ cæli tempe- ries ea magis congrueret, Salmanticam petiit; atque eo- dem pede, quo Grætij nuper illius studium, aliorum fa- uor processit. Allatrauit tamen iterùm nonnemo: & so- lennibus execrationum carminibus ac veneficiis doctis- simum quemque, ac qui se scire aliquid, quod ille nesci- ret fecisset palàm reipsâ, editisque libris; in canes, belluas, pecora, scarabæos, asinos, cercopas, cercopithecus, poly- pos, laruas, furias, damonas, *μορμολυκεία*, conuasatis subitò omnibus naturæ dotibus diuinisque muneribus, imò perditis profligatisque, migrare, atque ab homine in non hominem abire cogebat. Quid ageret Del-rio, qui hîc inter alios lautissimè inuitabatur, non Lapitharum aut Centaurorum poculis, at Circaeis pharmacis? Vlysses animo & mente induendum censuit, & se suosque incol- umes præstandos. Tribu mouerat iste & inter ærarios nuper retulerat Dionysium Areopagitam. Intercessit noster, & *Vindicias Areopagiticæ* conscripsit; ac san- ctissimum grauissimumque virum ex hac calumniarum catastrâ ereptum, Ecclesiæ Catholicæ reddidit.

VINDI-  
CIAE A-  
REOPA-  
GITICÆ.

Sub idem tempus Lugduni publici fecit iuris Ioannes Vignon, *Martini Antonij Delrij in C. Iulij Epitomam Historiarum emendationes*, quando aut vbi concinna- tas, non satis exploratum habeo.

EMENDA-  
TIONES IN  
IULII EPI-  
TOMAM.

F

Sed



Sed in his per ludum quodammodo & quasi rudibus se exercens, maiora meditabatur: atque non solum quæ prius scripserat facta tecta præstare, sed alia etiam architectari, quæ nullis obnoxia temporum iniuriis æternitati deseruirent: in omnes sacræ Scripturæ libros non facem accendere modo, sed pharum attollere, ne quis latentium in hoc Oceano ignarus saxorum, in breuia præceps rueret, & à veritatis portu deerraret. Hoc suo labore dum consultum vult omnibus, in *Genesim* lucubrationes suas palàm lucere passus est; & in Belgium iter accelerabat ut cetera conficeret, cum subito præclarissimis eius conatibus mors immineret.

PHARVS  
S. SCRIP-  
TURAE.

REDIT IN  
BELGIUM.

Anno MD. LXX. VIII. xv. Kalend. Sept. Pintiã discedit, & terrâ marique iactatus xviii. Octobris Bruxellas peruenit. Prehensarunt hîc eum multi, atque ut tanto tamque molesto ex itinere dies aliquot quieti se daret, omnibus suppliciis extorquere conati sunt. Verùm ille, ut erat in consultando non admodum concitus, sed tenax eorum quæ consultò decreuerat, dimoueri non poterat ab eâ sententiã, quã se Prouinciali Præposito (qui tum Louanij esse putabatur) sistere, & illius statuerat imperiis subdere, penitusque consignare. Hoc animo Delrius, studiorum peruigili perpeteq. cultu, & attritu quodam ad maciem vsque, & quasi *σκληρός* adesus, exsuccus, aridus, itineris importunitate conuulsus, ætate decliui, valetudine malignâ, dum curru vehitur publico, tantos repente calculo in vreterem lapsò dolores incurrit, ut superstitem Louanium vsque comites vix peruenturum iudicarent. Peruenit tamen serò admodum, defectis viribus, solo spiritu supra ferocissimam morbi tyrãnidem animosius emi-

emicans. Ea nocte dolor asperari; altero die medicus animo despondere: conclamatum esse. Horam circa septimam ante meridiem adest, qui conscientis expiandis præfectus. edicit illi iam summum adesse discrimen; à morte parum abesse: rogat, velitne mentem eluere. Tum Del-rio, nihil eo nuntio commotus, erectâ mente: nihil sibi admodum esse, cui obnoxium norit: eum esse diem, cui tanto se tempore in hoc sacrorum hominum cœtu parasset: sic vixisse, ut mori non timeret: velle tamen expiationis beneficium accipere, & abluere id næuorum quod superesset in IESV CHRISTI sanguine. et si enim ille abluendis næuis quandoque necessarius non sit, esse tamen ad cælestibus quibusdam cimeliis adorandum animum, qui mox sistendus Deo. Id agitur. Mox augustissimum CHRISTI corpus in thalamum adfertur. Ille venerabundus ea sentire, ea dicere, quæ Deum testem & arbitrum non refugerent: quæ astantes sacro velut numine percellerent: pauca quidem ob doloris vim, sed contra vim fortia, & quæ verè Timantis essent, sed & Christiani. Iam, cælituum hospes, mox contubernalis futurus, Angelorum pane, interiori quadam gustus suauitate epulatus erat: cum eum rogat sacrorum Interpres; ecquid censeret, an velit oleo sancto ex Iacobi decretis inungi? Ille nihil, nisi hoc vnum; Quid Rector censeat, quid vult? vbi eum non abnuere intellexit: Ita, inquit, fiat; ita fiat. Vix me contineo, quin ad te, vir magne, Christo nõ inuidente, dicam: *Factus es obediens vsq. ad mortem.* Nihil enim aliud toto hoc tempore, nisi ex Superiorum nutu faciebat: quod ille sanciret, sanctum arbitrabatur; quod interdiceret, nefastum. Puerum cre-



deres à paternâ maternâve manu trahi non reluctantem, sed hilarè blandientem. Circa idem tempus iuuenis per illustri domo ad eum officij causâ venit, & benignè virum nominis claritate notum compellans, opem operamque suam obtulit. tum Delrius: Si quidem eâ conditione essem, quâ tibi obsequium deferre possem, prolixè pro merito tuo pollicerer: nunc verò illud in cælis præstâdum differo; vbi tui non immemor breui, vt spero, futurus sum. Post hæc, veluti doloris expers, incredibili animi magnitudine naturam vincere; & de ipsâ quodammodo morte triumphare; ac soli intentus cælo, Deo plenus cetera omnia fastidire; sui securus, mortisque ex æquo nec cupiens, nec metuens; solos amplecti sodales suos, qui MARIE, qui IESV nomen, qui vtriusque fortiter patienterque gesta in memoriam reuocarent; cum his loqui, his assentiri; in Crucifixi effigiem oculos figere, Crucifixum æmulari. sic ille exactus dies est. Postero autem, cum medicus fieri non posse animaduertit, vt tantos dolores viuo vegetoque sensu ferret, sopire eum decreuit. Hanc in rem accepto pharmaco, vsque ad horam sextam lentescere visus est doloris sensus; sed ima penetrare doloris vis. Tandem horâ septimâ, vix vlllo mortis indicio, inter suorum manus placidissimè exspirauit, Anno cl. lxx. viii. Octobr. die xix. Annum agens ætatis quinquagesimum septimum.

MORS.

CORPORIS  
FORMA.

Staturâ fuit mediocri, nasoque crassiore, capillo denso, eoque nigro; nisi quòd sub finem vitæ canitie venerabilis: barba item nigra. oculorum acies assiduis lucubrationibus non solum hebetata, sed pænè extincta. forma erat virilis, quæque fucum non redoleret, aut molle  
quip-

quipiam; sed ingenium spiraret acre viuudumque.

Inter alia virtutum decora, hanc sibi propriam habuit: nihil vafre aut subdolè moliri; non per cuniculos insidiari, non per vineas oppugnare; non palàm blandiri, clàm detrahere: (quæ pestilentissima huius æui lues est) idem linguâ promptum, quod animo meditatam habere. Itaque qui cum eo versabantur, nullas cæcas cogitationum foveas metuebant, nullos laqueos; omnibus sacris & religionibus confirmatum censebant, quod ab eo dicebatur. Quâ de causâ Lipsius in familiari ad Rosweydem epistolâ hominem eum vocat; *cui non mentiri solum nefas est, sed blandiri.*

ANIMI  
CANDOR.Anno  
cl. lxx.  
xciii.LIVORIS  
EXPERTS.

Alterum illud erat: nihil eum improbè in aliquo eleuare solitum, nihil malignè quidem deprædicare: quidquid probum; etiamsi in venusto corpore mendæ essent; quidquid tamen in eo non illaudatum, ingenuè amplecti, efferre; & in hostibus non deterere odio aut inuidiâ, in iuuenibus etiam indulgentiùs fouere. Nihil eo vquam fuit magis integrè virtuti amicum & honestati; vbi cumque ea demum esset, in quocumque esset.

RATIONE  
OBSE-  
QUENS.

Denique non opinionibus rapiabatur vulgi. Quare frustra ad eum deferebatur, si quis absenti encomium diceret, si quis conuicium; nisi ratione dictum animaduertit. Tum verò reprehendentibus ne minimum quidem oblectabatur; in nulla excusationum dumeta correpebat: ex hostibus etiam capiebat fructum, ex venenis parabat antidotum. In omnibus rationem ducem sequebatur, cetera susque deque habebat.

Ereptus est rebus humanis, cum ingenti bonorum luctu. Si enim aliquantum adhuc vitæ prorogasset Deus, ea

46 M. ANT. DELRIO E SOC. IESV VITA.  
iam conuexerat cæmenta, quibus non *pharum* solum-  
modò (vt ipse vocat) exstruere potuisset, sed fortissimum  
Ecclesiæ Christi propugnaculum & inuictissimam veri-  
tatis acropolim. Illius sui consilij velut ichnographiam  
depinxit in proloquiis, quæ tamquam vestibulum com-  
mentariis in Genesim tam altè, tam longè lateque præ-  
struxit, vt si quis ex vngue leonem velit æstimare, non  
hominis vnus hoc opus, sed multorum esse sæculorum  
arbitrabitur. sed incredibilis illius animi magnitudo, &  
prodigiosa diligentia hæc feliciter ad finem perduxisset,  
nisi mors, quæ sola poterat, eius consilium demolita  
foret.

Tumulatus est in templo Patrum Societatis IESV,  
Louanij ad dextrum latus sacelli interioris: nullo saxo  
grauantur innoxij manes, nullâ designantur tabellâ: solis  
piorum votis & lacrymis decorantur: si quis volet, hæc  
animo insculpat:

SVBSISTE: TANGIS TERMINVM: HIC MORS IMPERAT.

HOC DELRIONIS INDICAT TVMVLVS TIBI.

MARMOR VIDERE POSTVLAS? CÆLOS VIDE.

HOC MARMOR ILLI EST: ORBIS EST BVSTVM: LIBRI

FAVILLA: FAMA PVBLICA, EST INSCRIPTIO.

LEGE HOSPES; ET QVOD EXPRIMAS TIBI SELIGE.

BREVI EST EVNDVM: NAM HOSPES ES. QVÆRAS VIAM.

F I N I S.





